

potest ut homo, perseverando in actu contritionis per aliquod tempus, in toto illo intendat continue suum actum; absurdum autem est dicere totam gratiæ intensionem respondentem illi intensionem actus dari in primo instanti justificationis; ergo falsum est etiam dicere, dari in illo instanti intensionem gratiæ per continuationem actus comparandam. Præterea est optimum argumentum, quia tota prima gratia datur sine merito de condigno, et augmentum quod respondet continuationi actus datur de condigno; ergo non datur in primo instanti, sed successive, prout continuatio actus temporis successivo coexistit. Alias prima gratia non omnino gratis daretur, nam quod datur ratione continuationis futuræ, non datur gratis, sed ex merito proprio, ut postea videbimus. Denique actus ille, in uno instanti factus, est perfectus, et determinatus in suo esse et intensione; cur ergo illi, ut sic, non respondebit determinatus gradus meriti et gratiæ, sive in ordine ad nostrum tempus amplius duraturus sit, sive non sit?

17. *Vera tandem responsio ad secundam rationem dubitandi in n. 1.* — Dico ergo in actu meritorio facto in instanti, et continuato per aliquod tempus, distinguenda esse duo: unum est, productio actus quoad substantiam ejus; aliud est perseverantia in illo actu per moram temporis, quæ est veluti circumstantia illius actus. Illi ergo actui, ratione liberæ productionis quoad substantiam ejus, respondet certum meritum et definitum præmium, seu gradus gratiæ, ut probant omnia adducta. Neque inde recte infertur tantumdem meriti respondere singulis instantibus ejusdem actus, prout coexistentis singulis instantibus ejus temporis cui coexistit, quia in omnibus illis instantibus non producitur novus actus meritorius, sed perseveratur in eodem, unde non est idem modus operandi, neque idem usus libertatis. Nihilominus tamen ratione continuæ permanentiæ in eodem actu aliquid moralis valoris accrescit illi actui in ordine ad meritum; illud tamen augmentum non fit in instanti, sed successive, ideoque non est infinitum, quia finito tempore fit, et per partes illius temporis crescit cum proportionem ad illas, et consequenter etiam per instantia non adduntur illi partes meriti, sed in eis continuatur meritum cum eadem proportionem quasi per mutata esse indivisibilia, et ideo etiam ex instantibus non consurgit infinitas, quia ex vi singulorum instantium non

augetur meritum continuationis actus, sed terminatur vel copulatur, prout ex partibus successivis constat.

18. *Diluitur objectio.* — Objici vero solet, quia inter instans et tempus non est proportio; ergo neque inter meritum primi instantis et meritum continuationis erit proportio, ac subinde unum excedet aliud infinite. Sed respondetur facile primum non ideo dici instans esse improporcionatum tempori, quia ab illo infinite excedatur, sed quia instans est indivisibile, et ideo non potest esse pars continui, et consequenter nec servare ad illud proportionem partis, quam vocant aliquotam. Et deinde in hoc ipso non fit recta comparatio ad meritum. Quia meritum primi instantis, licet sit indivisibile quoad productionem, quæ est tota simul, nihilominus tamen meritum talis actus est certæ quantitatis et perfectionis, quæ a nobis considerari potest ut quid indivisibile secundum valorem et intensionem, et ita illi potest correspondere gratia ut duo, vel ut quatuor, etc., juxta perfectionem actus. Et hac ratione potest illud meritum servare proportionem ad meritum totius continuationis, et interdum esse majus in momentanea productione actus, quam in continuatione, si parva sit vel remissa; aliquando vero poterit excedere meritum continuationis, si magna sit, et præcipue si sit conjuncta cum majori intensione ipsius actus, quia jam additur actui nova circumstantia augens meritum. Verumtamen, quamvis contingat actum continue intendi toto tempore quo durat, non potest etiam inde colligi augmentum infinitum, quia ex utroque capite intensionis et continuationis meritum successive crescit quasi per partes proportionales, et in singulis instantibus solum est continuatio ejusdem meriti, et ideo cum solum daret augmentum pro tempore finito, finitum semper est, et certis terminis clausum. Et hanc eandem responsionem ad illam difficultatem pluribus verbis declaravi et confirmavi in dicta relectione, et ideo non videntur hoc loco plura necessaria.

#### CAPUT XXII.

UTRUM CIRCUMSTANTIA, SEU DIGNITAS PERSONÆ, CÆTERIS PARIBUS, MERITUM OPERIS AUGEAT?

1. *Primum argumentum pro parte negativa.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — *Quintum.* — Hæc quæstio præcipue moveri so-

let de dignitate gratiæ habitualis. Fieri enim potest ut duo justis, habentes inæquales habitus gratiæ, æqualiter nunc operentur; est ergo dubium an ille actus sit ejusdem meriti in utroque, vel majoris in eo qui intensiorem habitum gratiæ habet. Et videtur sane non crescere inde meritum. Primo, quia habitus gratiæ per se non confert ad meritum, sed tantum ut actu operans, quia habitibus nec meremur nec demeremur; sed habitus gratiæ non plus operatur in eo, in quo est intensior, quam operetur minor gratia in altero, quia supponuntur æqualiter operari; ergo gratia illa, licet sit in se major, non auget meritum. Explicatur amplius, quia tunc gratia non est circumstantia operis, sed quasi materialiter et concomitanter se habet in tali persona. Secundo, augetur difficultas, quia ille qui cum minori gratia æqualiter operatur, non minori, imo quodammodo majori videtur laude dignus, quia cum minoribus gratiæ habitualis viribus æque bene ac alius operatur, et ideo vel iste magis meretur, vel certe unius dignitas cum alterius diligentia compensabitur, ut non plus alter mereatur. Tertio facit generalis Dei lex, quod unusquisque recipiet secundum opera sua, seu secundum suum laborem; ergo si opera utriusque æqualia sunt, æquale recipient præmium, et ita æqualis erunt meriti, etiamsi unus habitualiter sit sanctior alio. Quarto, possumus argumentari, quia alias hic etiam videtur sequi quidam processus in infinitum: suppono enim, ex supra dictis, augmentum gratiæ, quod justus meretur, statim dari, ac proinde justum, qui opus facit meritorium, in eodem instanti fieri habitualiter sanctiorem; ergo si major sanctitas habitualis auget meritum, eo ipso quod persona facta est sanctior, in eodem instanti augebitur meritum talis operis, quia jam est a persona sanctiori. Unde ulterius ratione operis, jam facti majoris meriti, iterum gratia augebitur, et ex illa crescet idem meritum, et sic in infinitum. Ad vitandum ergo simile absurdum, dicendum potius est, sanctitatem habitualement non conferre ad meritum, nisi quatenus actu operatur, ac proinde idem opus propter majorem gratiam habitualement non esse magis meritorium. Quinto, argumentor, quia alias sequeretur in omni opere meritorio tantum augeri meritum, quantum est intensa gratia ipsius operantis, ita ut si gratia sit ut quatuor, actus mereatur tot gradus gratiæ, præter illos quos, ratione suæ bonitatis et aliarum circumstan-

tiarum meretur; consequens est incredibile; ergo. Sequela patet, quia si gratia habitualis per se dignificat actum, secundum se totam augebit illum; ergo tantum augebit quantum ipsa est. Unde etiam fieret ut, si gratia operantis esset infinite intensa, quilibet actus, etiam minimus, hominis habentis talem gratiam, esset infinite meritorius, sicut fuit omnis actus Christi Domini, quod etiam est incredibile. Propter quas rationes, vel earum aliquas hanc sententiam defendit Medina 1. 2, quæst. 114, art. 8, et refert illam docuisse Magistrum, Cano, et alios sui ordinis viros doctissimos. Et solet etiam pro illa referri Gerson, tract. de Merito, litter. R. Sed nec tractatum illius tituli, nec sententiam ipsam in operibus ejus invenio. Estque opinio hæc satis probabilis.

2. *Pars affirmans, quam sequitur auctor cum aliis.* — Contrariam sententiam docuisse Victoriam refert Medina supra, et addit etiam P. Joannem Penna, ejusdem ordinis insignem nostri temporis Theologum, quos ego secutus sum in tom. 1 tertiæ part., disp. 4, section. 4, § *Ad primum*, soletque attribui Almaino, tract. 2 Moral., capit. 10. Sed licet circa finem capituli aliqua dicat, quæ ad hanc partem applicari possunt, re tamen vera illam non defendit; imo ex discursu ejus contrarium colligi potest. Nam supponit ad actum meritorium semper charitatem active concurrere, et inde infert posse actum esse magis meritorium ex majori influxu charitatis, licet voluntas non plus conetur, vel interdum etiamsi minus conetur. Quæ, sive sint vera, sive falsa, ad præsentem causam non pertinent; semper tamen supponit, actum magis meritorium esse in se majorem, seu intensiorem ex conatu voluntatis vel charitatis, et ita potius significat actum æqualem nunquam esse magis meritorium ex sola quasi assistentia intensioris habitus gratiæ, vel charitatis. Refertur etiam pro hac sententia Victor., libr. 1, quæst. 9, ubi nihil de hoc puncto disputat; obiter tamen videtur huic sententiæ favere in dub. 1, ad 3, quatenus ait charitatis intensionem non tantum conferre ad majorem intensionem actus, sed etiam ad majorem dignitatem et meritum ejus. Allegat autem quædam D. Thomæ testimonia, quæ ad rem non faciunt. Solent etiam pro hac opinione citari quædam D. Thomæ loca, in quibus dicit opus esse magis meritorium, quod procedit ex majori charitate, ut 1 part., quæst. 95, art. 4, et quodlib. 6, art.

11, et 1 Corinth. 3, lect. 2. Sed in illis locis non satis constat an de habituali vel de actuali charitate loquatur. Magis videtur favere in 2, d. 29, quæst. 1, art. 4, quatenus dicit meritum ex gratia, voluntate et objecto mensurari posse; unde addit: *Quanto majori gratia actus informatur, tanto magis est meritorius*, utique cæteris paribus. Dicitur autem actus informari gratia, eo ipso quod est in subjecto grato, sicut habitus virtutum et charitatis ipsa gratia informantur, ut in superioribus ex doctrina ejusdem D. Thomæ diximus.

3. *Suadetur ratione.* — *Item exemplo militis nobilis.* — *Et exemplo infinitæ nobilitatis, seu dignitatis Christi.* — Ratione potest hæc sententia suaderi, quia dignitas personæ operantis est una ex conditionibus quæ augent valorem operis in ordine ad meritum, etiamsi ex parte operis cætera æqualia sint; sed gratia constituit personam dignam ad merendum apud Deum; ergo major gratia magis dignam; ergo eo ipso major gratia meritum auget, etiamsi alias opus sit æquale. Major, communiter recepta, videtur tanquam principium quoddam morale per se notum moraliter, quia opus maxime placere solet ratione personæ, juxta illud Gen. 4: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus*; ita intellexisse videtur Gregorius, l. 22 Moral., c. 8, alias 12, dicens: *Omne quod Deo datur, ex dantis mente pensatur*, quod explicans addit: *Iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis*. Deinde potest dictum axioma variis exemplis quasi inductione persuaderi, et primum ex rebus humanis non temere, sed prudenter æstimatis. Nam in militia, majoris æstimationis habentur æquales labores et vigiliæ viri nobilis, quam vulgaris, et servata æquitate majori præmio remunerantur. Item in merito apud Deum veluti supremum exemplar est Christus Dominus, et meritum ejus, quod ex dignitate personæ infinitum fuit. Fateor autem esse magnum discrimen non solum in excellentia dignitatis, sed in eo maxime, quod in Christo illa dignitas suppositi operantis erat substantialis, et constituens ipsum suppositum per se operans, quod non habet gratia creata, quæ accidentaliter est, et ideo dici potest se habere concomitanter, et non dignificare personam, ut est principium talis operis.

4. *Proximum Christi exemplum sustinetur.* — Sed nihilominus exemplum non par-

vam inducit probabilitatem, quia per gratiam fit homo filius Dei adoptivus, et Deus per participationem, et quicquid operatur in ordine ad placandum Deum, ut Patrem suum, seu in ordine ad vitam æternam, quæ hæreditas filiorum Dei est, consequendam, moraliter operatur ut Dei filius, et ut elevatus ad esse divinum participatum; et ideo etiam in his operibus moraliter censetur gratia concurrere, ut dignificans personam. Potestque hoc ulterius explicari ex multorum Theologorum sententia, asserentium in homine justo omnia moralia opera bona, quomodocumque fiant honeste, esse meritoria vite æternæ ratione gratiæ habitualis, quæ, dignificando personam, et elevando illam ad supernaturalem statum et finem, cum illa dignificat omnes bonas actiones ejus aptas ad supernaturalem finem referri; ergo juxta hos auctores hæc dignitas gratiæ sufficit, ut opus ex non digno fiat dignum; ergo major etiam gratia satis erit, ut opus dignius, ac subinde majoris meriti censeatur. Et nos supra illam sententiam approbavimus quoad bona opera, quæ aliquo modo supernaturalia sunt, in quibus certe majorem verisimilitudinem et proportionem habet ratio, et comparatio facta, quia talia opera, ut connaturali modo fiunt, per se pertinent ad hominem deificatum per gratiam et ejus virtutem; ergo quo dignitas personæ in illo ordine fuerit major, eo erit opus majori acceptance dignum.

5. *Tandem confirmatur ex doctrina D. Thomæ.* — Denique hac ratione docet D. Thomas primam contritionem, quæ non est meritoria gratiæ de condigno, eo ipso quod gratia informatur, mereri gloriam de condigno; unde censet gratiam, eo ipso quod dignificat personam, aliquid valoris moralis actui supernaturali tribuere; ergo sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Et confirmari hoc potest, nam opera amicorum in majori æstimatione habentur, et quo amicus intimior est, eo donum pluris habetur, et intercessio ejus efficacior est. Et hinc in Scriptura usitatum est in orationibus ad Deum commemorare personas singulariter illi dilectas, ut earum intuitu et benevolentia oratio fiat Deo gratior. Sic Daniel c. 3: *Propter Abraham dilectum tuum, propter Isaac servum tuum, et propter Jacob sanctum tuum*, etc.; ergo signum est fieri opus magis Deo gratum ex morali conjunctione ad personam gratiorem, etiamsi in se majus non sit. Atque eodem modo orationes insignium justorum, et

qui a Deo magis diliguntur, efficaciores sunt apud Deum, ut patet ex variis locis Scripturæ, in quibus orationes et intercessiones justorum maxime commendantur. Unde, Job ult., amici ejus jubentur eundem adire, et intercessorem adhibere, et addit Deus: *Job servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam*; cur ergo non idem dicemus de opere meritorio, Deum nimirum respicere ad gratiam operantis, ut juxta personæ qualitatem et dignitatem opus ejus ad proportionatum præmium acceptet? Atque magis ex responsione ad argumenta confirmabitur, nam doctrina hæc per se spectata est valde consentanea dignitati gratiæ, et suavitati, ac æquitati providentiæ Dei; ergo si nihil est quod repugnet præferenda est.

6. *Ad primum argumentum in num. 1.* — *Ad secundum.* — *Ad tertium.* — *Instantiæ respondetur.* — *Ad quartum.* — Ad primam ergo rationem contrariæ sententiæ, respondetur hoc augmentum meriti non esse formaliter, ut sic dicam, ab habitu, non enim dicimus ipsum habitum esse meritorium, sed actum, qui a persona, digniori facta per habitum, procedit. Et, licet habitus nihil influat physice in actum, et ideo non reddat illum intensiorem, nihilominus influit moraliter, quia justus operans se totum submittit Deo in obsequium ejus, ideoque tale opus majoris æstimationis et valoris apud Deum est. Unde non vere dicitur habitualis gratia ibi tantum materialiter et concomitanter se habere; nam etiam concurrat ad meritum ut circumstantia personæ operantis, sicut concurrat ad impetrationem et satisfactionem, quæ sine dubio eo plus valet apud Deum, quo persona, se affligens et humilians in conspectu Dei, et in obsequium ejus, sanctior est, et dignior apud ipsum. Ad secundum, respondetur non teneri eum qui majorem habet gratiam habitualement, operari semper secundum totam latitudinem ejus quoad intensionem, vel meliori modo quoad operis perfectionem, et ideo si, juxta occurrentem occasionem, vel actualem Dei motionem, convenienti modo operetur, circumstantia illa secundum totam latitudinem habitus vel infra illam non est circumstantia per se augens vel minuens meritum, nisi quatenus auget vel minuit realiter seu intensive ipsum actum. At vero excessus in dignitate, quem major gratia confert, est specialis circumstantia operis meritorii, quæ, per se, ac cæteris paribus, ejus valorem auget. Ad tertium, respondetur Deum quidem reddere

unicuique mercedem secundum opera sua, spectando tamen in singulis omnes eorum conditiones, quæ ad eorum valorem et æstimationem meriti moraliter conferre possunt, inter quas una est dignitas personæ operantis. Sed instat Medina, quia merces esse debet secundum proportionem operis; ergo si dignitas operantis non facit opus esse majus, non auget ejus meritum. Respondetur tamen vel laborari in æquivoco, vel falsum assumi; nam, si antecedens intelligatur de entitate physica operis, falsum sumit, et ex parabola vineæ et operariorum, ac denarii diurni contrarium colligitur, et ex Gregorio supra, et est per se notum; si autem intelligatur de proportione operis moraliter considerati quoad valorem suum, sic quidem verum est antecedens, tamen in eodem sensu falsa est propositio subsumpta in consequente inclusa; nam dignitas personæ, licet non augeat opus physice, auget moraliter, ut declaratum est. Illudque argumentum in merito Christi ostenditur esse omnino invalidum. Ad quartum negatur sequela, quia illud gratiæ augmentum, quod ratione actus meritorii denuo infunditur, non auget meritum ejusdem actus, quia non est circumstantia ejus, neque actus procedit a persona ut sic dignificata, sed potius est ratio illius augmenti, ideoque inde non augetur meritum, alioqui idem actus esset sibi causa sui meriti, seu augmenti ejus, quod perinde est; id autem esse non potest, ideoque cessat processus in infinitum.

7. *Replica non obstat.* — Ad quintum respondetur negando primam sequelam, quia gratia personæ non ita dignificat actum ejus, sicut sanctificat personam ipsam, nimirum informando illam, eique inhærendo, sed solum per quamdem habitudinem et moralem respectum. Et ideo non sequitur tantum valorem conferre actui ad merendam gratiam, quanta ipsa est. Verum igitur est totam gratiam personæ, et omnes gradus ejus conferre ad valorem actus, non tamen secundum illam æqualitatem, sed secundum quamdam proportionem, quæ prudenti arbitrio definienda est, et in ordine divinæ providentiæ est jam prædefinita. Sicut est certum in quolibet meritorio actu augeri meritum ex intensione actus, et consequenter est certum omnes gradus intensionis, qui sunt in actu, concurrere ad tantum meritum ejusdem actus et tamen inde non sequitur per quemlibet actum meritorium mereri operantem tot gradus

gratiæ, quot sunt gradus intensionis in actu, sed secundum aliquam proportionem divino arbitrio determinandam; idemque est fere in cæteris omnibus circumstantiis; idem ergo erit in hac circumstantia personæ. Neque obstat replica Medinæ objicientis hoc gratis dici, quia, si quæ rationes probant meritum augeri ex majori gratia personæ, probant æque augeri; vel, si non probant, absolute invalidæ sunt. Verumtamen discursus factus satis ostendit hoc non gratis dici; quin potius illatio illa ab augmento ad magnitudinem augmenti in æquali gradu nullo fundamento nititur, nam et in aliis circumstantiis actus manifeste deficit, et in merito inter homines est evidens conditionem personæ augere meritum operis, licet non augeat usque ad meritum æqualis dignitatis.

8. *Satisfit illationi.* — Ad ultimam vero illationem de gratia, si esset infinita, respondeo imprimis argumentum procedere ab impossibili, et ex impossibili non esse inconveniens sequi aliud impossibile. Deinde vero addimus negari posse sequelam, quia gratia creata non ita auget meritum actus, ut ad æqualem gratiam promerendam valeat. Potest tamen instari, quia si meritum illud esset finitum, fieri consequenter posset ut idem actus, seu in cæteris omnibus æqualis, esset æque meritorius in persona habente gratiam finitam, ac in habente gratiam infinitam. Et ideo ex illa hypothese oportet fateri tale meritum esse aliquo modo infinitum, id est, superans omne augmentum possibile fieri per gratiam finitam, etiamsi in infinitum procedatur. Nihilominus tamen illud augmentum tantum esset secundum quid infinitum, nec esset sufficiens ad merendam hypostaticam unionem, sicut fuit meritum Christi. Et præterea illamet infinitas non esset ex eo quod gratia augeat meritum ad æqualitatem in sensu declarato, sed ex eo quod infinitum excludit omnem proportionem, et ideo, si illud consequens absurdum esse creditur, non sequitur ex eo quod gratia augeat meritum, sed ex eo quod gratia infinita supponitur, quod majus absurdum est. Poterat hic consequenter quæri an aliæ dignitates personæ, quæ non spectant ad gratiam gratum facientem, per se ac cæteris paribus ad augmentum meriti conferant. Quod imprimis quæri potest de dignitate Matris Dei, item de dignitate morali, quæ provenit hominibus ex unione hypostatica, et speciali conjunctione spirituali cum CHRISTO. Sed quia hæc in-

certa sunt, sufficere videntur quæ de dignitate Matris DEI alibi dixi, et quæ de altera dignitate membrorum Christi in capite præcedenti tetigi. De aliis vero prærogativis aut dignitatibus Ecclesiæ, certum existimo non conferre ad substantiale augmentum meriti, nisi quatenus esse possunt circumstantiæ morales operis bonitatem augentes, quia per se non habent aliam proportionem cum substantiali præmio meritorum. Idemque de dignitate status innocentie dicendum est, ut in proprio loco dicam.

## CAPUT XXIII.

UTRUM EX PARTE DEI AUT CHRISTI POTUERIT  
MERITUM BONORUM OPERUM AUGERI?

1. *Resolvitur primo ex parte Dei promittentis obvenire nostris meritis efficaciam ad præmium absolute.* — Ultimum dubium circa hoc augmentum meriti in operibus justorum esse potest circa aliam conditionem, ex parte Dei requisitam ad meritum de condigno, scilicet, promissionem vel ordinationem divinam, an ex ea parte possit meritum operis augeri. Sed resolutio hujus interrogationis ex dictis in c. 17 et 18 nota est, ibi enim distinximus inter proportionem operis cum præmio, et valorem seu efficaciam operis ad exigendum ex justitia præmium. Et hoc secundum diximus compleri in opere, alias proportionato, per promissionem sub conditione talis operis factam. Unde si comparetur opus ex promissione factum cum opere facto sine promissione, sine dubio in illo priori augetur aliquo modo efficacia et proprietas meriti ex promissione. At vero si comparentur opera quibus facta est promissio, in illis non potest in hac parte magis vel minus inveniri ratione promissionis, quia promissio æque certa et infallibilis est in omnibus, et ita æqualem vim præbet unicuique operi respectu sui proportionati præmii. Proportio autem seu dignitas operis meritorii respectu præmii non confertur, nec proprie completur per promissionem, sed potius ad illam supponitur, ut ibi diximus. Et ideo in hac parte non videtur augeri meritum ex divina promissione vel ordinatione, ut ibidem contra antiquos Nominales, et Vegam ac Castrum diximus.

2. *Deinde obvenire efficaciam ad illud majus præmium quam quod ex rigore promitti posset.* — Nihilominus tamen ad majorem

claritatem, distingui potest inter proportionem seu dignitatem operis, quasi aptitudinalem ad meritum, et ipsum actuale meritum. Et quoad primum, verum est non posse valorem operis crescere ex promissione, quia promissio non est circumstantia operis, sed supponit qualitatem et capacitatem ejus, saltem in mente promittentis. Nihilominus tamen quoad actualem relationem et efficaciam ad determinatum præmium, potest opus meritorium augeri ex pacto, per quod ad majus vel minus præmium ordinatum est. Hoc late explicuimus supra exemplo meriti Christi, quod ex se infinitum valorem habuit, et nihilominus de facto finitum tantum præmium meruit, quod sine dubio majus esse potuisset, si Deus ita ordinare ac permittere voluisset. Fuitque id necessarium in illo merito, eo ipso quod infinitum erat, quia nec poterat habere præmium æquale, et, quocumque dato vel promisso, erat majoris capax. At vero quando opus est meriti finiti, potest habere præmium summum, et ita adæquatum, ut, si majus offeratur, sit ultra condignum. Et tunc si ponatur tale præmium esse promissum tali operi, non potest ulterius augeri ex promissione ampliori, quia jam excederet operis capacitatem, et ita quoad illum excessum esset liberalis donatio, non justa retributio. Nihilominus tamen etiam respectu meriti finiti potest intelligi in hoc aliqua varietas ratione promissionis.

3. *Itemque in ipsis nostris meritis.* — Primo quidem respectu præmii quasi connaturalis et proportionati, seu ejusdem ordinis, quia, ut supra dixi, probabile est etiam hoc præmium non esse omnino definitum quasi indivisibiliter ex sola rei natura, sed esse posse aliquantulum majus vel minus intra latitudinem (ut sic dicam) justii pretii, ac proinde posse promissionem Dei conferre, ut quanto intra illam latitudinem est de majori præmio, tanto sit opus majoris actualis meriti. Sicut in mercibus vel stipendiis humanis ex pacto fit ut, propter rem vel opus, majus pretium vel stipendium debeatur intra latitudinem æquitatis. Secundo, posset id accidere in præmiis extrinsecis, si sint inferioris ordinis, et in præmiis accidentalibus gloriæ optime potest intelligi; nam martyr, verbi gratia, nunc meretur de condigno aureolam a Deo designatam et promissam, et pauper spiritu meretur habere sedem in judicio, et tamen si Deus hæc præmia non

promississet, in illis operibus non esset de facto actuale meritum.

4. *Resolvitur quoque ex parte etiam Christi obvenire nostris meritis, ut promissio liberalior supra dicta eis fieret.* — Atque hinc tandem potest intelligi, ex meritis Christi de facto aucta fuisse nostrorum meritorum præmia, ac proinde etiam ipsa merita, prout habitudinem actualem habent ad majora præmia. Nam cum promissio præmiorum propter Christum nobis facta sit, ut supra vidimus, optima et congruentissima ratione credi potest ob eadem Christi merita nobis concessum esse, ut respectu essentialis præmii promissio fuerit liberalissima et maxima, quæ intra capacitatem talium operum a tali gratia Christi procedentium esse poterat, et respectu accidentalium præmiorum esset etiam copiosior et abundantior, quam sine Christo fuisset. His ergo modis potest operum meritum ex omnibus meriti conditionibus augeri.

## CAPUT XXIV.

AN POSSIT ALIQUIS DE CONDIGNO PRIMAM GRATIAM  
VEL REMISSIONEM PECCATI MERERI?

1. *De præmio, quod tertia pars est hujus libri, varia genera distinguuntur.* — Hactenus de merito in se spectato tractavimus, et illud esse, et quid sit, quasque condiciones requirat ut de condigno esse censeatur, ostendimus; nunc de præmio, vel de præmiis, quæ sub tali merito cadere possunt, quod in principio hujus libri tertio loco inquirendum proposuimus, dicendum superest. Omnia vero hæc præmia, vel ad gratiam, vel ad gloriam reducuntur, ut videbimus, et inter illa dona priora sunt dona gratiæ, inter quæ rursus ordo invenitur, nam quædam dona gratiæ priora sunt aliis, omnia vero sub primam et secundam gratiam comprehenduntur, et ideo primum omnium dicendum est de merito primæ gratiæ, postea de reliquis. Ut autem punctum præsentis quæstionis attingamus, supponimus sermonem esse de prima gratia sanctificante, et consequenter de remissione peccati mortalis vel originalis, quod per illam formaliter expellitur. Nam de prima gratia auxiliante non oportet hic quæstionem movere, tum quia in libro tertio late ostensum est, contra Semipelagianos, illam esse donum omnino gratuitum, cui meritum de condigno maxime opponitur;